

e terris ascenderit et inde sit in terras reuersurus sicut cum dicimus vna in domo capi familiam, quae libera est, et similia. Audimus enim, vos homines suaues et facetos in peruersa interpretatione verbi huius risum captare non valde ridiculum ad nos exagitandos.

- 5 Ex his omnibus statuere iam tibi in promptu est, quid illa Gregoriana interpretatio, qua nos vsi sumus et quam inclementissime ἀναθεματίζει charta tua prae altera praestet. Explicat sententiam euangelistae et apostoli multo quam altera euentius, Eutychaeorum blasphemias refutat, Christum verum hominem esse demonstrat et vere in coelos ascendisse et vere eum ibi esse et de-
- 10 gere, vt inde ad nos eodem euehendo reuertatur et caetera. Qualis cum sit oramus te, vt cum bona gratia tua hac vti nobis liceat aut, si hoc non potes largiri, ne reprehendas saltem, quod factum est a nobis animo simplice, qui neminem offendere volumus, sicut nos etiam non reprehendimus eam, qua tu vteris, cum sit orthodoxa vtraque. Si tamen omnino te offendit Gregoriana
- 15 interpretatio, quietis publicae causa non vtemur ea amplius, dum modo de re nulla sit inter nos controuersia et hoc modo te habeamus aequiorem nobis et rebus nostris, cum per se etiam λογομαχία in ecclesia turbare non debeant. Quae tamen in disputationem de interpretatione verborum Lucae tuam infers aliena sunt omnia [C 1r:] quaedam aut^o fidei christianae aut symbolis huius,
- 20 vt uides, contraria. Quod restat igitur pro affectione erga te optima nostra, qua te secus merentem complectimur, oramus te, in primis propter veritatem christianam et ecclesiae quietem atque per tuam etiam salutem et dignitatem, te et oramus et hortamur, ne attentes neque conuellas ea, quae sunt in symbolis nostris christianis de ascensione Christi in coelum et reuersione huius inde et non aliunde in terras. Neque enim te facere hoc feret ecclesia, cum om-
- 25 nium orthodoxorum et semper fuerit et nunc etiam hac de re sit μία καρδία καὶ ψυχή μία et de sacramentis, ne sic disseras, vt articulos fidei euertas, cum per haec fides stabiliatur et confirmetur. Nostra autem de venerabili sacramento coenae domini doctrina et confessio ante oculos est et in manibus omnium, qua vna et eadem vtuntur harum terrarum ecclesiae iam inde ab initio
- 30 instauratae veritatis euangelicae, quae et in catechesi nostra iisdem verbis, quae praeceptores nostri nobis praescripserunt, repetita est, a qua et non sumus, Deo iuuante, recessuri. Pone suspensiones, quae peccatum habent, quas et caritas christiana non vsurpat neque admittit, et cum domum habeas
- 35 noli habitare in alterius corde aut capite sicut ille dicit in comoedia.⁴⁷ Neque sumas tibi, vt, quo consilio hoc aut illud hic aut iste faciat aut dicat, pronuncies atque ita de suspicionibus tuis insimulationes ne texas et in uulgas spargas contra caput et vitam innocentissimorum hominum et amicorum tuorum et multarum regionum quietem et salutem. Quod tibi non est obuium aut
- 40 expeditum, ne statim reprehende, abijce, damna in alijs. Dies enim diem do-

^o autem: A.

⁴⁷ Das Zitat konnte nicht verifiziert werden.